

Stadtblech



1. pappi si joh. theser de scriptum
Sacra Th. sent. 1593.
2. Gerlach si. Heptj diff de vnu Erle,
fia tabingd 1593.
3. diff. de traditionibus in
Ecclisia, tabingd 1593.
4. pappi si joh. theser de Ecclisia
Argent. 1594.
5. fabri si. joh. theser de pccato
originali, Argent. 1595.
6. Narbachij si. phil. theser de
justificatione hominis
Argent. 1597.
diff. de Baptisme.
7. Argent. 1601.

8. Marbachij phil. / diff. de sacramentis
in genere Argent. 1601.
9. pappi Joh. / de vera profectio
Corporis Christi in S. Coena.
Argent. 1601.
10. pappi Joh. / disputatione
profectio corporis Christi in S.
Coena. Argent. 1602.
11. Marbachij phil. / diff. de S.
Coena. Argent. 1601.
12. pappi Joh. / diff. de Electione Dei
et Pernae et alvandorum Argent.
1602.
13. pappi Joh. / diff. de providentia
Dei et. Peccata peccati. Argent.
14. pappi Joh. / diff. de libero Arbitrio.
Argent. 1602.
15. pappi Joh. / diff. de discrimine
peccati mortali et veniali.
Argent. 1602.
16. pappi Joh. / diff. de discrimine
peccati mortali et veniali. Argent.
1602.



35. Gifeni Joh. diff. de arcano s.
cripture fenu, Argent. 1621.
36. Froerijes. Isaac. diff. de vultu
volatrico in rapata. Argent.
37. Schmidt. Joh. diff. de Iocana
Evangelij. Argent. 1629.
38. — diff. de bonis operibus.
Argent. 1629.
39. Froerijen. Isaac. refutatio
vii librum sententiarum ex
scriptura confutante, Arg.
40. Dörschkei. Joh. Georg. diff. de
reconciliatione. Argent. 1632.
41. Schmidt. Joh. diff. de s. Coena Argent.
diff. 1632.
42. — diff. de poenitentia.
Argent. 1639.
43. Dörschkei. Joh. Georg. diff. de
peccato originali. Argent. 165.
44. Jägeritzer. Joh. Ulr. diff. de
resurrectione mortuorum
Tubing. 1692.

Num. 1.

- 45 presitzer s. Joh. v. Biss. de
universalitate misericordie Christi
tubingae 1642.
- 46 Nicolai s. Reichenb. diff. de S.
Cœna, Katg. 1642.
- 47 presitzer et s. Joh. v. Biss. diff. de
cultu sanctorum, tubingae
1643.
- 48 Marbachius phil. diff. Guile
de purgatorio. II. de
celebratione Læcordatunij Ar-
gent. 1606.



Num. 3.

3

21

DISPUTATIO

DE TRADITIO-
NIBVS IN ECCLESIA.

QVAM;

Diuino fauente Nume:

SVB PRÆSIDIO.

REVEREN-

DI ET CLARISSIMI VIRI,
D. STEPHANI GERLACHII, SACRO-
sanctæ Theologiæ Doctoris, & inclytæ Tubingensis Aca-
demiæ Professoris celeberrimi, D. Præcepto-
ris sui summâ obseruantâ
colendi;

AD DIEM 18. IVNII, HORA ET LOCO
consuetis; defendendam suscipiet

M. IOHANNES CASPARVS
PAPPVS, LINDAVIENSIS.



TUBINGAE
Apud Georgium Gruppenbachium,
ANNO M. D. XCIII.

Liberanda Viva vñdici.



M A G N I F I C I S :

REVERENDIS: CLARISSI-
MIS AC DOCTISSIMIS
VIRIS:

D. MELCHIORI IVNIO, ARGENTINEN-
SIS Academæ Rectori, ac Eloquentiæ Professori;

D. IOHANNI PAPPO, SACRAE THEO-
LOGIÆ Doctori; Argentinensis Ecclesiæ Antistiti ac Præsidi;
Academæ Professori, ac pro tempore Decano;

D. IOHAN. LVDOVICO HAVVENREV-
TERO, Medicinæ ac Philosophiæ Doctori ac Professori;

Dominis Præceptoribus, Patruis ac Patro-
lis, omni obseruantiæ genere
colendis;

H A N C A S E P R O P O S I T A M
Disputationem,

I N

S T V D I O R V M T E S T I M O N I V M ;
O B S E R V A N T I Æ P I G N V S ;
G R A T I Q V E A N I M I S Y M B O L V M ;

O F F E R T D E D I C A T Q V E

M. Johannes Casparus Pappus,
Lindauiensis.

I.

DE TRADITIONE *bus in Ecclesia.*

THESES L.

ET TRADITIONIBVS DISPUTA-
turi, eas initio incertas species distinguemus; ut
constet, quas nostræ Ecclesiæ recipiant; quas
item ut verbo Dei contrarias repudient.

II.

Traditionum itaque duæ sunt species : aliæ verbo Dei
consentientes: aliæ eidem repugnantes.

III.

TRADITIONES verbo Dei conuenientes, sunt cōstitutiones , pro temporum ac locorū ratione in Ecclesiam ab hominibus introductæ, hoc fine, vt illa ædificetur, omniaq; decenter & secundum ordinem in ea peragantur, 1. Cor. 14.

111.

Earum aliæ ad ritus & ceremonias pertinent : aliæ ad disciplinam respiciunt.

V.

Quæ ad ritus pertinent, vel explicationem continent doctrinæ diuinitus traditæ, eamque ad certum usum accommodant: vel consistunt in decenti Sacrorum reverentia, & ornatu Ecclesiæ actionibus cōgruente, quo, ceu externis adminiculis, ad pietatem & Sacrorū obseruantiam permouentur homines.

VI.

Prioris generis exemplum, illa Traditio Apostolica est,
in prima Christianæ Ecclesiæ Synodo sancita; qua Gentes ad
fidem Christi conuersæ , ab esu sanguinis & suffocati sunt
prohibitæ; vt Ecclesia ex Iudæis & Gentibus melius posset
coalescere, Act. 15, 29. Et, 21, 25.

VII.

Quæ Traditio , explicatio fuit doctrinæ de charitate

A 2 proxi-

2 *Disputatio de Traditionibus in Ecclesia.*

proximi; inter alia requirens^{ti}, ne infirmos in fide offendamus, sed infirmitati eorum consulamus, Rom. 14, 1.

VIII.

Huc ritus pertinent, qui in Sacmentorum administratione in nostris Ecclesijs adhiberi cōsueuerunt: cuiusmodi sunt exhortationes, interrogations, preces, cantiones, & certæ quādam lectiones, quibus doctrina de ysū & efficacia Sacmentorum rudi populo explicatur ac illustratur.

IX.

Posterioris generis exempla sunt; quod Verbum & Sacra menta cum dignitate quadam administrantur; preces nudo capite, & flexis vt plurimū genibus peraguntur; mortui honestē sepeliuntur; & quæ huius sunt generis alia.

X.

Traditiones, quæ disciplinam respiciunt, eò potissimum sunt directæ, ut in Sacris actionibus ordō seruetur, omnisque vitetur confusio: ipsi etiam homines, constitutionibus quibusdam, ad pœnitentiam & vitæ emendationem seriam intentur.

XI.

Huiusmodi Traditiones sunt, quod certis diebus ac horis Sacri cōuentus instituuntur, in quibus ad populum conciones habentur, ac Sacra menta distribuuntur.

XII.

Similiter, quod belli, famis aut pestis tempore publicæ preces instituuntur; quod ieunia indicuntur; & aliâs licita inhibitur; quod & ardentius orare, & maiori deuotione Sacra tractare possint homines.

XIII.

Has Traditiones Ecclesiasticas nostræ retinent ac obseruant Ecclesiam: propterea, quod finem utilem, & in verbo Dei fundatum habent.

XIV.

Nam ad Ecclesiam ædificationem faciunt; & homines ad auditum Verbi, & Sacmentorum usum inuitant; piatem & virtutes reliquas in ipsorum pectoribus accendent; & omni-

Disputatio de Traditionibus in Ecclesia.

omnino efficiunt, ut maiori reuerentia & obseruantia Sacra peragantur.

XV.

Adhæc Traditiones huiusmodi ordini conducunt; omnemque æra, & confusionem ex Ecclesia remouent.

XVI.

Tum decoro inseruiunt; quod quidem non constat apparatus theatricis, aut pompis, ad ostentationem tantummodo directis, nihilque præter inutilem elegantia laruum continentibus: sed ostendit, quid prædicationi Verbi, & Sacramentorum administrationi, cæterisque pietatis exercitijs tribuendum sit.

XVII.

Et hi fines discrimen faciunt inter constitutiones Ecclesiæ, & Traditiones hominum, quæ nec Scripturarum testimonijs suffultæ, nec autoritate diuina fundatæ sunt.

XVIII.

Nam licet nec illæ quoque omnes speciatim in Scripturis comprehendantur: finis tamen respectu, ad quem referendæ sunt, satis luculenter in ijs continentur.

XIX.

Ac proinde, quanquam ab hominibus in Ecclesiam introductæ, atque sic humanæ sint; simul tamen etiam diuinæ sunt; quatenus primùm generaliter in Scripturis comprehenduntur: deinde, quatenus Ecclesiam ædificant, & pars sunt decori ac ordinis, cuius obseruatio nobis commendatur ab Apostolo 1. Cor. 14, 40.

XX.

Discernendæ tamen sunt Traditiones Ecclesiasticæ, à reliquis diuinis constitutionibus, quæ ad fidei dogmata pertinent.

XXI.

Nam hæ salutis attingunt negocium, & ad æternam animarum fœlicitatem consequendam prorsus sunt necessaria: ideoque conscientias hominum religione obstringunt,



4 *Disputatio de Traditionibus in Ecclesia.*

easque ita deuinciunt , vt sine salutis iactura negligi nequeant.

XXII.

Illæ verò indifferentes sunt , & suapte naturâ liberæ : ac propterea sine cōscientiæ vulnere extra casum scandali omitti possunt.

XXIII.

Vnde D. Apostolus profitetur , se in rebus medijs nullum velle laqueum hominibus iniucere , aut necessitatis lege ipsos obstringere , sed libertatem , à Deo cōcessam , ipsis relinquare , I. Cor. 7,35.

XXIV.

In qua tamen libertate præcipit , vt charitatis habeatur ratio ; deturque opera , ne harum rerum abusu offendatur proximus , Rom. 14, 13. I. Cor. 8,9.

XXV.

Qua ratione Traditiones istæ non amplius liberæ sunt , sed pro circumstantiarum qualitate hominem obligant , vt sine peccato eas non possit negligere.

XXVI.

Qui enim in proximum peccat , eiusque conscientiam infirmam percutit , in ipsum Christum peccat , vt habet Apostolus I. Cor. 8,12.

XXVII.

Itaque diuinæ constitutiones , fidei dogmata attingentes , ad animarum salutem necessariæ sunt : Traditiones verò Ecclesiasticæ sunt res adiaphoræ , & possunt liberâ conscientiâ vel obseruari , vel præteriri , extra casum tamen scandali .

XXVIII.

Adhæc constitutiones diuinæ , quæ ad religionem & fidei dogmata pertinent , vniuersales sunt & perpetuæ ; ac propterea mutari aut abrogari nequeunt . Dei namque sunt Verbum , quod in æternum manet , Psal. 117. 2 , Esai. 40, 8. Matthæi , 24, 35. I. Pet. 1, 25.

XXIX.

Ecclesiæ verò constitutiones non sunt vniuersales , aut omni-

Disputatio de Traditionibus in Ecclesia.

7

omnibus Ecclesijs communes : sed pro locorum ac temporum ratione & institui, & rursus aboleri possunt.

XXX.

Nam tametsi finis respectu fixæ sint & perpetuæ, earum tamen forma pro circumstantiarū diuersitate variat ; ideoq; liberè rescindi ac abrogari queunt.

XXXI.

Idq; si causa , propter quam institutæ ac obseruatæ sunt, temporis progressu desinat , illæque ad ædificationem nil amplius faciant.

XXXII.

Qua ratione decretum Apostolicum de suffocato & sanguine Actor. 15, 29. hodiè non amplius obseruatur in Ecclesia, cùm illius causa iamdudum sublata sit.

XXXIII.

Hæc autem fuit , ne qua offenditionis oriretur occasio, quæ Iudæos , quibus initio Euangeliū prædicandum fuit, ab eodem absterret aut auocaret.

XXXIV.

Nam ceremonialium legum obseruantia adeò in Iudæorum hærebat animis , vt illas penitus negligere, aut contemtim habere , nefas ducerent.

XXXV.

Cùm itaque Apostolorum prædicatione de Messiaæ adventu, officio & regno, illarum vsum tolli & abrogari cernebant ; vehementer offensi, ipsumque Euangeliū aspernati sunt , vtpote quod nouum doctrinæ genus importare videbantur.

XXXVI.

Proinde vt remoueri hoc offendiculum , & ipsi Iudæi paulatim ad fidem Christi cōuerti possent ; decreto illo Apostolico illorum infirmitati consulendum fuit.

XXXVII.

At verò hodie , cùm nulla amplius infirmitatis occasio Iudæis refractarijs sit reliqua ; neque spes , illos per ceremonialium huiusmodi legum obseruationes ad Christianismum



6

Disputatio de Traditionibus in Ecclesia.

nismum conuerti posse; rectè hoc decretum de suffocati & sanguinis abstinentia ex Ecclesia sublatum est.

XXXVIII.

Vel abalentur constitutiones Ecclesiasticæ, quando ab
vſu, propter quem initio institutæ sunt, deflectunt, & in ab-
usum degenerant.

XXXIX.

Qua de causa conuiuia, quæ à veteribus post Cœnæ Do-
minicæ σύναξιν celebrari, & ἀγάπη nominari solebant, ho-
die in Ecclesia abrogata sunt.

XL.

Hæc enim licet initio propter bonum finem instituta
fuerant, ut scilicet fraternæ charitatis essent symbola; & di-
uites liberalitatem suam in ijs exercere possent: successu ta-
men temporis in vsum admodum profanum deuenerunt.

XLI.

Nam cum diuites primùm cibos ex suis ædibus in tem-
pla adferrent; ibique cum pauperibus ederent; postea facti
elatiores, hos excluserunt, & soli se suis lautijs ingurgita-
runt.

XLII.

Vnde propter hunc abusum factum est, ut mos conui-
uandi planè ex Ecclesia sublatus, & in priuatas ædes relega-
tus sit.

XLIII.

Vel denique antiquantur Traditiones, quando pro
circumstantiarum mutatione, nihil, aut parùm admodum
ad pietatem faciunt.

XLIII.

Hoc modo trina in sacro Baptismo immersio: crucis si-
gnatio: lactis & mellis prægustatio: in precibus ad orientem
conueriones, & stationes, & his similes constitutiones ho-
diè sunt abolitæ, licet à nonnullis Patribus ad ipsos referan-
tur Apostolos. Tertull. de Coron. milit. Basilius de Spiritu
sancto cap. 27.

XLV. Ex



Disputatio de Traditionibus in Ecclesia.

7

XLV.

Ex his, & quid Traditiones Ecclesiasticæ, & quomodo cùm à reliquis humanis, tum diuinis sanctionibus discriminatae sint, manifestum esse arbitramur.

XLVI.

Accedamus itaque ad Traditiones, quas verbo Dei repugnare diximus.

XLVII.

Eæ autem sunt constitutiones, non tantum de ritibus & disciplina; verum etiam de fide, sine Dei verbo ab hominibus sanctæ, in hunc finem, ut vel modum colendi Dei prescribant, vel de rebus ad salutem necessarijs præcipiant.

XLVIII.

Harum apud Pontificios tanta est congeries, tantusq; numerus, vt omnes enumerare, & absolutum earum catalogum proponere, nondum ausi sint.

XLIX.

Quo ipso hanc sibi libertatem reseruant, vt in quo quis dogmate, quod ex Scripturis probare non possunt, ad has, tanquam ad sacram ancoram, tutò configuant.

L.

Hoc siquidem Traditionum operculo omnes suos errores, superstitiones, totamque multiplicis idolomania hydram tegere se posse confidunt, vt dicant, pro erroribus illa haberi non posse, quia Traditiones fint, & vt somniant, Traditiones ab Apostolis profectæ, & per continuam successionem in Ecclesia retentæ.

L.I.

Idque ut commodiūs faciant, autoritatem haud vulgarem ipsis asserunt; & sub anathematis denunciatione, paries pietatis affectu suscipiendas ac venerandas esse præcipiunt, ac ipsum Dei verbum sacris in voluminibus comprehensum.

LII.

Nos vero, qui puriorem profitemur doctrinam Euani-

B gelij,



§ . . . *Disputatio de Traditionibus in Ecclesia.*

gelij, Humanas eiusmodi Traditiones simpliciter reijcimus,
damnamus, totisq; animis execramur.

LIII.

Primùm enim verbo Domini edocti, nouimus, totam
colendi Dei rationem, omniaque ad æternam animarum sa-
lutem cognitu necessaria, abundè sacris in literis compre-
hensa esse.

LIII.

Id quod D. Apostolus docet, ad discipulū Timotheum
scribens, sacras literas ipsum posse eruditum reddere ad salu-
tem per fidem, quæ est in Christo I E S V, 2. Tim. 3, 15.

L V.

Et, omnem Scripturam diuinitùs inspiratam vtilem esse
ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad insti-
tutionem, quæ est in iustitia, vt perfectus sit Dei homo ad
omne opus bonum institutus, 2. Tim. 3, 16. 17.

L VI.

Quod si ergo Scriptura perfectos, & ad salutem erudi-
tos nos potest reddere; ipsam quoq; perfectam esse, omniaq;
ad salutem necessaria continere concludimus.

L VII.

Hinc Iohannes Euangelium suum (quod Scripturæ S.
tantùm pars est) perfectionis huius nomine commendat; &
ex eo cognitionem I E S V C H R I S T I, fidemque saluificam
addisci posse, haud obscurè indicat.

L VIII.

Sic enim inquit: Multa alia signa fecit I E S V S, quæ
non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, vt cre-
datis, quod I E S V S fit C H R I S T V S ille, filius Dei; & vt
credentes, vitam æternam habeatis in nomine ipsius, Io-
han. 20, 30. 31.

L IX.

Cum itaque Iohannes de parte Scripturæ hoc affirmare
non dubitet; multò magis de toto corpore scripturæ Cano-
nicæ affirmari poterit; quod omnem Dei cultum, omniaque
fidei dogmata sufficientissimè habeat proposita.

60. Quod

Disputatio de Traditionibus in Ecclesia.

L X.

Quod cùm ita sit ; sacram Scripturam imperfectionis arguere non possumus , quasi Traditionum non scriptarum supplemento indigeat.

L XI.

Deinde ipse Deus seuerissimè prohibet , ne propria autoritate Verbo suo quidquam addere aut detrahere præsumamus.

L XII.

Inquit enim in Deuteronomio : Non addetis ad Verbum , quod vobis loquor ; nec ex eo auferetis , Deut. 4, 2. Et iterum : Quod ego præcipio tibi , hoc tantum facito Domino , nec addas quidquam , nec minuas , Deut. 12, 8.

L XIII.

Hoc autem Verbum , quod Deus locutus est , & faciendum præcepit , scriptis à Mose mandatum est . Nam Moses scripsit omnia verba Domini , Exod. 24, 4. scripsit legem , Deut. 31, 9. scripsit omnia verba legis , Deut. 28, 58.

L XIV.

Ideoque cum Deus Verbo suo quidquam superaddi vetat ; scriptum Verbum intelligit , eoque ipso ἀγράφος Pontificiorum Traditiones repudiat.

L XV.

Similiter D. Paulus anathematis fulmine omnes eos ferit , qui Euangeliū annunciant , præter id , quod ipse annunciat , Gal. 1, 8. 9.

L XVI.

Illud verò omne in Scripturis extare , ipsemē luculentissimus testis est . Nam coram Agrippa rege profitetur , se diuino adiutum auxilio , in illum usque diem prædicasse Euangelium omnibus tam paruis , quam magnis : nihil autem dixisse extra ea , quæ Moses ac Prophetæ futura esse prædixerant , Actor. 26, 22.

LXVII.

Hinc Berhænenses eam doctrinam , quam Paulus ipsi\$ annunciauerat, cum Testamenti veteris Scriptura contulisse, & vtrum cum ea congrueret, indagasse dicuntur, Actorum 17, 11: quod sanè non fecissent, nisi Paulus se eam ex illa depromississe significasset.

LXVIII.

Quapropter Pontificij , dum præter id , quod à Paulo annunciatum , & in Scripturis comprehensum est , annunciant, & non scriptas suas Traditiones Verbo scripto addunt, Paulini anathematis rei sunt ; quod profectò terrere ipsos magis debet , quām nos terrent anathematum ipsorum crepitacula ; quæ illi sine Dei verbo in nos torquent , quæq; nobis , tanquam Gorgonis caput , obuertunt.

LXIX.

Adhæc , ipse Seruator noster Traditiones damnat , atq; ijs mandatum Dei irritum fieri , frustraque se his coli affirmat , Matth. 15, 6, 9. Marc. 7, 7.

LXX.

Ac proinde non ad has , sed ad Scripturas nos ablegat : Scrutamini Scripturas , inquit , quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere ; & illæ sunt , quæ de met testimonium perhibent , Iohan. 5, 39. Et ad epulonem ait : Habent Mosen ac Prophetas , illos audiant , Luc. 16, 29.

LXXI.

Seruatorem imitans Apostolus , non vult sanguine Christi iustificatos ab hominum pendere Traditionibus. Ait enim : Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi ; quid adhuc tanquam in mundo viuentes , decretis tenemini ? Coloss. 2, 20.

LXXII.

Et alibi eos , qui doctrina Christi non contenti , Traditionibus ac mandatis hominum attendunt , veritatis hostes appellat , ac Titum monet , vt seuerè illos arguat , Tit. 1, 14.

LXXIII.

Postremò Verbum suum ideo Deus scribi voluit , ne fitijs

Etijs Traditionibus, & commentitijs dogmatibus corrumpi & adulterari posset.

LXXIII.

Etenim initio quidem viua voce voluntatem suam generi humano patefecit ; eamque doctrinam sine scripto propagari, & posteritati per manus quasi tradi voluit.

LXXV.

Ideoque sanctos Patriarchas vita longeuitate, alijsque donis ornauit, & illustribus patefactionibus illos confirmavit, ut doctrinam ab ipso acceptam posteris suis commendare, & a corruptelis vindicare possent.

LXXVI.

Cæterum hæc doctrinæ per Traditiones propagatio, non diu incorrupta mansit , sed sèpius apud posteros depravata est.

LXXVII.

Nam ante diluvium non Cainus tantum à doctrinæ puritate deflexit, verum etiam reliqui Patriarcharum filij, licet à parentibus viua voce fidelissime instituti ; vias tamen suas corruerunt, & à pietate ac vera religione defecerunt, Genes. 6, 12.

LXXVIII.

Post diluvium vero , cùm doctrinæ cœlestis custodia in primis posteritati Sem commendaretur ; eam tamen yniuersa incorruptam non retinuit , sed à vera Religione descivit, & Idololatriam sectata est.

LXXIX.

De Patribus enim Israelitarum , vt de Thare, Abrahami , & Nachor patre , affirmat Scriptura , quod Dijs alienis seruierint, Ios. 24, 2.

LXXX.

Eadem asserit Israelitas reliquos in Aegypto & terra Canaan , doctrinæ depositum , à Patriarchis sibi voce viua relictum , negligenter admodum custodiuisse , & Deo vero relicto , Aegyptiorum Idola coluisse , Iudic. 2. Ezechielis 20.

LXXXI.

Quapropter Deus, vt Ecclesiæ suæ consuleret, illo quidem tempore doctrinæ suæ puritatem, per Traditiones adulteram, illustribus apparitionibus ac reuelationibus subinde instaurauit ac restituit.

LXXXII.

Ita enim tempore Noë fecit; quo collapsam doctrinam redintegravit, & Noahum iustitiæ præconem constituit, vt Scriptura loquitur, 2. Pet. 2, 5.

LXXXIII.

Sic Abrahamum à parentibus procul dubio in Idolatria educatum, Ios. 24, 2. ad verum sui cultum reuocauit, atque per visiones plurimas, suam illi voluntatem patefecit, Gen. 12. 15. 17. 18. 22.

LXXXIV.

Eodem modo Isaaco & Iacobo apparuit, ijsque Verbi sui doctrinam, quam à maioribus acceperant, explicauit ac illustrauit, Gen. 26. 28. 31. 32. 35.

LXXXV.

Sed cùm Deus extraordinarijs huiusmodi apparitionibus non amplius vti vellet; & verò nihilominus animaduerteret, quam lubrica & incerta esset doctrinæ per Traditiones custodia; rationem aliam instituit, vt videlicet doctrina cœlestis, per Mosen maximè, scriptis mandaretur, atque sic incorrupta ad posteros transmitteretur.

LXXXVI.

Quam ad rem postea in Testamento veteri Prophetas excitauit; eosque diuino Spiritu illustrauit; stupendis miraculis inaugurauit; infallibilibus denique testimonijs fidem ipsis & autoritatem conciliauit.

LXXXVII.

Et per hos Prophetas omnia annotari voluit, quæ ad fidem & pietatem posteriorum necessaria esse iudicauit: hacq; ratione doctrinæ propagationem per Traditiones, sustulit.

88. Simi-

LXXXVIII.

Similiter in Nouo Testamento , Christus & Apostoli, primis aliquot annis, doctrinam Euangelij viua tantum voce, tradiderunt ac propagarunt.

LXXXIX.

Antequam enim illa scribebatur , signis & miraculis confirmanda fuit ab Apostolis , & assensu populorum credentium comprobanda ; ut certò sciret posteritas, ea , quæ ab Apostolis conscripta sunt , ab ipso Deo confirmata , & approbatione multorum hinc inde fidelium corroborata esse .

X C.

Non diu autem Euangelij doctrina hoc modo sine corruptelis propagata est : sed in carne adhuc viuentibus Apostolis , & in specula ac custodia Ecclesiarum quasi excubantibus, ea deprauari & adulterari cepit.

XCI.

Idque partim propter hominum prauitatem ac malitiam, partim indefessum diaboli studium , quo Dei verbum inuertere ac corrumpere nunquam quiescit.

XCII.

Nam non longo post ascensionem tempore, quidam ex Apostolis exierunt , & sub Traditionum Apostolicarum titulo falsa & adulterina dogmata sparserunt , & Ecclesias Christi passim turbauerunt, Act. 15.

XCIII.

Quin imò eò audaciæ proruperunt , vt Epistolas effingere, & eas sub Pauli & Apostolorum nomine venditare non erubuerint , quo facilius fallerent Ecclesias , & peruersis ac adulterinis opinionibus eas imbuerent, 2. Thess. 2, 2.

XCIV.

Cùm itaque doctrinæ Euangelicæ puritas , per Traditiones non fideliter propagaretur , sed multis ac varijs modis à Pseudoapostolis , & alijs Satanæ organis corrumperetur; Apostoli Spiritus sancti instinctu , doctrinam à Christo acceptam , & per totum terrarū orbem , prædicatione sua diuulgatam, in literas retulerunt , scriptisque commendarunt.

95. Et

XCV.

Et ut grauissimè Irenæus loquitur : Illud Euangelium, quod præconiauerunt, postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt; vt fundamentum esset ac columna nostræ fidei, Iren. lib. 3. cap. 1.

XCVI.

Atque hoc ipso, eam doctrinæ propagationem, quæ via voce per Traditiones siebat, sustulerunt; & ne posthac sub earum prætextu peregrina & adulterina dogmata in Ecclesiam inueherentur, præcauerunt.

XCVII.

Diligenter etiam & fideliter Christianos monuerunt, ne per eas sibi imponi finant: Videte, inquiunt, ne quis vos prædetur per Philosophiam, & inanem deceptionem, secundum Traditionem hominum, Coloss. 2, 8. Et iterum: Ne citò dimoue amini à mente, neq; turbemini vel per Spiritum, vel per Sermonem, vel per Epistolam, tanquam à nobis exaratum, 2. Thess. 2, 2.

XCVIII.

Hæc igitur, quæ huc usque diximus, liquidò conuincent, humanas illas Traditiones, pro quib. tantopere Pontificij, tanquam pro aris & focis, dimicant, & sub quarum inuolucro plerosque suos errores ac superstitiones tegunt, & obstinate præfracteque defendunt, verbo Dei contrarias, ideoque ex agro Ecclesiæ eliminandas atque exterminandas esse.

DEO LAVS, HONOR, ET GLORIA.



59 635



WMA Fl. 79.



Farbkarte #13

B.I.G.
8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

DISPV TATIO
DE TRADITIO-
NIBVS IN ECCLESIA,

Q V A M ;

Divino fauente Nume:

S V B P R A E S I D I O .

R E V E R E N-

D I E T C L A R I S S I M I V I R I ,
D. STEPHANI GERLACHII, SACRO-
sanctæ Theologiae Doctoris, & inclytæ Tubingensis Aca-
demia Professoris celeberrimi, D. Præcepto-
ris sui summâ obseruantia
colendi ;

A D D I E M 18. IVNII, HORA ET LOCO
consuetis; defendendam suscipiet

M. IOHANNES CASPARVS
PAPPVS, LINDAVIENSIS.

T V B I N G A E
Apud Georgium Gruppenbachium,
A N N O M. D. XCIII.